This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Liturg.
1083cd

12

PRECES

ANTE ET POST MISSAM

PRO

OPPORTUNITATE SACERDOTIS DICENDÆ.

ACCEDUNT

HYMNI, LITANIÆ, ALIÆQUE PRECES

IN FREQUENTIORIBUS PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS USITATÆ

ACCOMMODÆQUE ANIMADVERSIONES RITUALES.

Cum Approbatione Rmi Ordinarii Ratisbonensis.

RATISBONÆ & NEO-EBORACI 1866.
SUMTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

Parisiis, P. Lethielleux. — Tornaci, H. Casterman.
Tilburgi, W. Bergmans. — Genevæ, A. Garin.
Romæ, Petri de Marietti.

Im Oberhirtlichen Verordnungsblatte für die Regensburger Diözese (Jahrg. 1866 Nr. XIV) ist dem hochw. Clerus dieses Büchlein auch aus dem Grunde besonders empfohlen, weil es bei den gewöhnlichen kirchlichen Andachten sehr brauchbar ist, in den Directiven den liturgischen Vorschriften genau entspricht und der Priester unbedenklich der darin enthaltenen Gebete bei den liturgischen Handlungen sich bedienen kann.

Digitized by Google

Liturg. 1083 cd Preces

Libri liturgici in eadem Typographia excusi:

	fl.	kr.	Thlr.	ngr.	Frs. c.
Breviarium Romanum. Cum Approb. Congr. S. Rit. 4 Tomi. 4°. Rub. et Nig. Editio communis	22	30	14	—	50,00
„ elegantior cum 4 titulis pictis	30	—	18	—	70,00
Prostant etiam eidem Breviarii editioni accommodata Propria Diœcesium: **Buscoducensis; Chilenæ; Harlemensis; Hispaniæ; Hungariæ; Limanæ; Mexicanæ; Moraviæ; Poloniæ & Sueciæ, Russiæ, Lithuaniæ & Silesiæ; Tridentinæ; Ultrajectensis;** nec non **Ordinis Societatis Jesu.**					
Breviarium Romanum. Cum Approb. Congr. S. Rit. 4 Tomi. 18°. Rub. et Nig.	9	—	5	10	25,00
Breviarium Romanum. (Totum) ad itinerantium præsertim et Missionariorum commodum instructa. Cum Approb. 18°. Rub. et Nig.	6	—	3	18	16,00
Propria Diœcesium et Diœcesanum regionum præfatis Breviariis accommodata pariter venumstant.					
Canon Missæ in Folio maj., solidissimæ chartæ impressum. Rub. et Nig.	1	—	—	18	3,00
Canon Missæ in Folio min. Rub. et Nig.	1	—		18	3,00
Convivium (Sacrum) vulgo Carta Gloriæ (Canontafeln). Rub. et Nig. Editio major	—	36	—	12	2·00
„ „ colorata	1	36	1	—	5·00
„ media	—	24	—	$7\frac{1}{2}$	1·50
„ „ colorata	1	—	—	18	3·50
„ minor	—	15	—	5	1·00
„ „ colorata	—	42	—	12	2.75
Epistolæ & Evangelia totius anni, ex Missali Romano deprompta. Ad Sacrorum Ministrorum in Missis solemn. usum. Cum Approb. Congr. S. Rituum. Folio. Rub. et Nig. .	8	—	5	—	20,00
Horæ Diurnæ Breviarii Romani. 18°. Cum Approb. Congr. S. Rituum. Rub. et Nig.	1	21	—	24	4·00



PRECES

ANTE ET POST MISSAM

PRO

OPPORTUNITATE SACERDOTIS DICENDÆ.

ACCEDUNT

HYMNI, LITANIÆ, ALIÆQUE PRECES

IN FREQUENTIORIBUS PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS USITATÆ

ACCOMMODATÆQUE ANIMADVERSIONES RITUALES.

Cum Approbatione Rmi Ordinarii Ratisbonensis.

RATISBONÆ & NEO-EBORACI, 1867.

SUMTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆPARATIO

AD MISSAM

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delicta nostra, vel paréntum nostrórum: neque vindictam sumas de peccátis nostris.

Quæ Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur; temp. pasch. additur in fine Allelúja.

Deinde dicuntur sequent. Psalmi: et in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum; * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaúdi oratiónem meam: * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster ádspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus: * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Digitized by Google

Psalmus 84.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam:

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exaúdi me: * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis, * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: * Tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in ve-

Digitized by Google

ritáte tua: * lætétur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et erúisti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iniqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo..

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei: * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant, qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dómino * pro ómnibus, quæ retribuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ.

Dirupísti vincula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel: * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Digitized by Google

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delicta nostra, vel paréntum nostrórum: neque vindictam sumas de peccátis nostris. (temp. pasch. Allelúja.)

Postea Sacerdos dicit:

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum, ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, ℟. Et Sancti tui exsúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

AURES tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclina précibus nostris, et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purifica per infusiónem sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet: et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritus sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne decuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purifica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus.

Digitized by Google

ORATIONES

pro opportunitate Sacerdotis ante celebrationem, et Communionem dicendæ.

Oratio ante Missam.

PATER cœléstis, clementíssime Dómine, pater misericordiárum: súscipe hódie per manus servi tui hoc sacrosánctum sacrifícium, verum corpus, et sánguinem unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, in satisfactiónem et remissiónem ómnium peccatórum meórum, in salútem et fortitúdinem ánimæ meæ, et totius domus meæ, et ómnium illórum, quibus áliqua obligatióne téneor: et ómnium Dominórum, Prælatórum, Prædicatórum, Sacerdótum, et Religiosórum Cathólicæ fídei, ut eis grátiam Spíritus sancti impertíri dígnéris ad salútem animárum suárum, et régimen totius pópuli christiáni, et ómnium peccatórum hujus mundi, ut eos convértas, et ducas ad viam salútis: in consolatiónem ómnium tribulatórum, ut eis adjutórium, et veram patiéntiam tríbuas: in refrigérium et liberatiónem ómnium animárum existéntium in purgatório, et máxime illárum, quæ auxílium a me jure exspéctant: et ad illuminatiónem, et conversiónem ómnium géntium infidélium, et hæreticórum, et schismaticórum, ut cognóscant, et ament te summam veritátem, Patrem omnipoténtem, qui cum Fílio, et Spíritu sancto es laudábilis Deus, benedíctus in sæcula sæculórum. Amen.

Alia Oratio ante Missam.

DEUS, qui de indígnis dignos facis, et de peccatóribus justos, et de immúndis mundos: munda cor, et corpus meum ab omni contagióne, et sorde peccáti, et fac me dignum, atque strénuum sanctis altáribus tuis ministrum: concéde propítius, ut in hoc altári, ad quod indignus accédo, hóstias acceptábiles, atque placábiles ófferam piétáti tuæ pro peccátis, et offensiónibus, innumerísque, et quotidiánis excéssibus meis, atque cunctórum simul Christianórum culpis abluéndis, et per eum sit tibi votum meum acceptábile, qui se tibi Deo Patri pro nobis óbtulit sacrifícium: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio S. Ambrosii Episcopi. Die Dominica.

SUMME Sacérdos et vere Póntifex, Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram et immaculátam in ara Crucis pro

Digitized by Google

nobis miseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis carnem tuam ad manducándum, et sánguinem tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus sancti tui, dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei meóriam faciétis: rogo per eúmdem sánguinem tuum, magnum salútis nostræ prétium; rogo per hanc miram et ineffábilem caritátem, qua nos miseros et indignos sic amáre dignátus es, ut laváres nos a peccátis nostris in sánguine tuo; doce me servum tuum indígnum, quem inter cétera dona tua étiam ad officium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ; doce me, quæso, per Spíritum sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reverèntia et honóre, ea devotióne et timóre, quibus opórtet, et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere et intelligere, sentíre et firmiter tenére, dícere et cogitáre, quod tibi placet, et éxpedit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi Missárum solémnia mundo corde, et pura mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia, ac tutéla fortissima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti Angeli tui repélle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum spíritum supérbiæ et cænodóxiæ, invídiæ et blasphémiæ, fornicatiónis et immunditiæ, dubietátis et diffidéntiæ. Confundántur, qui nos persequúntur, péreant illi, qui nos pérdere festínant.

Feria Secunda.

REX virginum, et amátor castitátis, et integritátis, cœlésti rore benedictiónis tuæ exstingue in córpore meo fómitem arduéntis libídinis, ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimæ. Mortifica in membris meis carnis stímulos, omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram et perpétuam castitátem cum céteris donis tuis, quæ tibi placent in veritáte: ut sacrifícium laudis casto córpore, et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cor-

Digitized by Google

dis contritióne, et lacrymárum fonte, quanta reverèntia et tremóre, quanta córporis castitáte, et ánimæ puritáte istud divinum et cœléste sacrificium est celebrándum, ubi caro tua in veritáte súmitur, ubi sanguis tuus in veritáte bibitur, ubi ima summis, terréna divínis jungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum præséntia, ubi tu es sacrificium et sacérdos mirabiliter, et ineffabiliter constitútus.

Feria Tertia.

QUIS digne hoc celebráre póterit, nisi tu, Deus omnipotens, offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idipsum pietáti tuæ confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium propter nímia peccáta mea, et infínitas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo. credo, et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus justos et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc sacrificium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrymárum fonte, cum lætítia spirituáli et cœlésti gaúdio. Sèntiat mens mea dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

Feria Quarta.

EGO enim, Dómine, memor veneràndæ passiónis tuæ accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut offéram tibi sacrificium, quod tu instituísti et offérri præcepísti in commemoratiónem tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua, et pro pópulo, quem acquisísti sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te, et eúmdem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, officium saltem dispensatiónis créditæ non recúses, nec per me indignum eórum salútis péreat prétium, pro quibus victima salutáris dignátus es esse redémptio. Prófero étiam, Dómine, (si dignéris propítius intuéri) tribulatiónes plébium, pericula populórum, captivórum gémitus, miséras orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, deféctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

Feria Quinta.

TU enim miseréris ómnium, Dómine: et nihil

Digitized by Google

odísti eórum, quæ fecísti. Memoráre quæ sit nostra substántia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es: ne irascáris satis, neque multitúdinem vísceru tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras, et ignem sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra: et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut serêno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis officia præstolántem, adspícere dignéris; et ut nullius sit írritum votum, nullius vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre, et exaudíre delectéris.

Feria Sexta.

ROGAMUS étiam te, Dómine sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum, ut sit illis salus, sánitas, gaúdium, et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntum. Dómine Deus meus, sit illis hódie magnum, et plenum convívium de te pane vivo, qui de cœlo descendísti, et das vitam mundo de tua carne sancta et benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso beátæ VírginisMaríæ útero est assúmpta, et de Spíritu sancto concépta: ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam militis ex tuo sacratíssimo látere emanávit: ut exínde refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti exsúltent in laude et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrifícándum plenitúdo tuæ benedictiónis, et sanctificátio tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa sancti Spíritus tui invisíbilis incomprehensibilísque majéstas, sicut quondam in patrum hóstias descendébat, qui et oblatiónes nostras Córpus et Sánguinem tuum efficiat, et me indígnum sacerdótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte, et lacrymárum devotióne, cum reveréntia et tremóre, ita ut plácide ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis ad sálutem ómnium tam vivórum, quam defunctórum.

Sabbato.

ROGO étiam te, Dómine, per ipsum sacrosánctum mystérium Córporis et Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur, et potámur, ablúimur, et sanctificámur, at-

Digitized by Google

que unius summæ Divinitátis participes efficimur: da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bona consciéntia ad altáre tuum accédam, ita ut hæc cœléstia sacraménta efficiántur mihi salus, et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam præter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum, et omnem sapórem, qui nos semper réficis, et numquam in te défícis: cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ. Mandúcat te Angelus ore pleno: mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne deficere possit in via, tali recreátus viático. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de cœlo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam, sana et munda me intérius, et extérius. Esto tutámen, et continua salus ánimæ et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes: recédant procul a præséntia poténtiæ tuæ, ut foris, et intus per te munítus recto trámite ad tuum regnum pervéniam: ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam, nec sítiam in ætérnum: Qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu sancto vivis, et regnas per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Alia Oratio ante Missam.

Ad mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Jesu Christe, ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens, sed in tua confidens misericórdia et bonitáte, accédere véreor, et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis criminibus maculátum, mentem, et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda Majéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio: et quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine,

Digitized by Google

plagas meas ostèndo: tibi verecúndiam meam dètego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus timeo: spero in misericórdias tuas, quarum non est número-rus. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine Jesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem: exaúdi me sperántem in te: miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis nunquam manáre cessábis. Salve, salutáris victima, pro me et omni humáno génere in patíbulo crucis obláta. Salve, nóbilis et pretióse sánguis de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totius mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo sánguine redemísti. Pœnitet me peccásse, cúpio emendáre, quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea, ut purificátus mente et córpore digne degustáre mérear sancta sanctórum; et concède, ut hæc sancta prælibátio córporis et sánguinis tui, quam ego indígnus súmere intèndo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque et córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi: accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cœli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem: ut panem Angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici córporis et sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de Vírgine Maria, sic suscípere, ut córpori suo mystico mérear incorporári, et inter ejus mem-

Digitized by Google

bra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi dilèctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, revelàta tandem fácie perpétuo contemplári: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, etc.

Oratio ad Beatam Virginem Mariam ante Missam.

O Mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo Maria, ego miser et indignus peccátor ad te confúgio toto corde et affèctu: et precor pietátem tuam, ut sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce pendénti adstitísti, ita et mihi misero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus hic, et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus, cleménter assístere dignéris, ut tua grátia adjúti, dignam et acceptábilem hóstiam in conspèctu summæ et individuæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Oratio ad S. Josephum.

Pius VII. P. M. concessit cuilibet sacerdoti, orationem seq. devote ante Missam recitanti, Indulgentiam unius anni.

O felicem virum beátum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluérunt vidére, et non vidérunt, audire, et non audiérunt, non solum vidére et audire, sed portáre, deosculári, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beáte Joseph, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS, qui dedísti nobis regále sacerdótium, præsta, quæsumus, ut sicut beátus Joseph unigénitum Fílium tuum natum ex Maria Virgine, suis mánibus reverénter tractáre méruit et portáre, ita nos fácias cum cordis munditia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui corpus et sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sæculo præmium habére mereámur ætérnum. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad Sanctum vel Sanctam, cujus ea die festum celebratur.

O sancte N., ecce ego miser peccátor de tuis méritis confísus, offérre nunc intèndo sacratíssimum sacraméntum Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi pro tuo honóre et glória: precor te humíliter et devóte, ut pro me hódie intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam, et eum tecum, et cum ómnibus eléctis ejus ætèrnáliter laudáre, atque cum eo semper regnáre váleam: Qui vivit.

Et si sint plures, dicatur in numero plurali.

Digitized by Google

Protestatio facienda ante Missam.

EGO volo celebráre Missam, et conficere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ, ad laudem omnipoténtis Dei, totiúsque Cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam, totiúsque Cúriæ militántis, pro ómnibus, qui se commendavérunt oratiónibus meis in génere, et in spécie, et pro felici statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

GAUDIUM cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem sancti Spíritus, perseveránti am in bonis opéribus, tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Gregorius XIII. P. M. cuilibet sacerdoti præfatam orationem ante Missam dicenti quinquaginta annorum Indulgentiam concessit.

In Missarum celebratione memoria hujusmodi habeatur.

Memento Vivorum.

1. MEI, paréntum, fratrum, sorórum, consanguineórum et amicórum meórum.
2. Omnium, quibus fui gravámen, scándalum, et occásio peccándi.
3. Omnium benefactórum meórum in spirituálibus, et temporálibus.
4. Omnium mihi commissórum in génere, et in spécie.
5. Omnium sacerdótum, et ministrórum Ecclésiæ Dei cathólicæ.
6. Omnium inimicórum meórum ad dimissiónem.
7. Omnium hæreticórum, et infidélium ad conversiónem.
8. Omnium, pro quibus vis, et scis me debére oráre.

Memento Mortuorum.

1. ANIMARUM paréntum, fratrum, sorórum, consanguineórum, et amicórum meórum.
2. Animárum, quæ occasióne mei purgántur in purgatório.
3. Animárum ómnium benefactórum meórum in spirituálibus, et temporálibus.
4. Animárum ómnium mihi commissárum in génere, et in spécie.
5. Animárum ómnium sacerdótum, et ministrórum Ecclésiæ Dei cathólicæ.
6. Animárum morte improvisa corpóribus exutárum.
7. Animárum, quarum non est speciális memória.
8. Animárum misérrime existéntium in purgatório, et ómnium, pro quibus vis, et scis me debére oráre.

Digitized by Google

GRATIARUM ACTIO

POST MISSAM.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camino ignis, benedicéntes Dóminum.

Quæ Antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur; et tempore paschali additur in fine Allelúja.

Canticum trium puerorum. Dan. 3. 57.

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino: * benedícite cœli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino: * benedícite stellæ cœli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dómino: * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et æstus Dómino: * benedícite frigus et æstus Dóminio.

Benedícite rores et pruína Dómino: * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino: * benedícite noctes, et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebræ Dómino: * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite montes et colles Dómino: * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vólucres cœli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ et pécora Dómino: * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israel Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino: * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimæ justórum Dómino: * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Digitized by Google

Benedicite Anania, Azaría, Misael Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedictus es, Dómine, in firmaménto cœli: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cithara.

Laudáte eum in tympano, et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camino ignis, benedicéntes Dóminum. (tempore paschali, Allelúja.)

Deinde sacerdos dicit:

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Exsultábunt Sancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ignium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACTIONES nostras, quæsumus, Dómine, adspirándo præveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas exstinguere: qui beáto Laurentio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Digitized by Google

ORATIONES

post celebrationem et communionem dicendæ.

Oratio sancti Thomæ de Aquino.

GRATIAS tibi ago, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, qui me peccatórem indignum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ satiáre dignátus es pretióso córpore et sánguine Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi; et precor, ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fidei, et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium, quam invisibílium, firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium, quam spirituálium, perfécta quietátio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio: atque finis mei felix consummátio. Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere digneris, ubi tu cum Fílio tuo, et Spíritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaúdium sempitérnum, jucúnditas consummáta, et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventuræ.

TRANSFIGE, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas et víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera, serenáque, et apostólica sanctíssima caritáte, ut lángueat et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui, te concupíscat, et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi, et esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem, et sapórem, et omne delectaméntum suavitátis: te, in quem desíderant Angeli prospícere, semper esúriat et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ: te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei: te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem

Digitized by Google

et glóriam Nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et affectu, cum perseverántia usque in finem: ut tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, jucúnditas mea, gaúdium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, refféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesaúrus meus, in quo fixa, et firma, et immobiliter semper sit radicáta mens mea, et cor meum. Amen.

Alia Oratio

dicenda post celebrationem Missæ.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, conservátor animárum, mundíque Redémptor, me fámulum tuum ante majestátem tuam prostrátum benignissime réspice, et sacrifícium, quod in honórem nóminis tui pro salúte fidélium tam vivórum, quam étiam defunctórum, et pro peccátis et offensiónibus meis óbtuli, piissime réspice: iram tuam a me rémove, grátiam et misericórdiam mihi concéde, jánuam paradísi mihi pande, ab ómnibus malis me poténter éripe; et quidquid próprio commísi reátu, cleménter indúlge: et sic in hoc sæculo in præcéptis tuis fac me perseveráre, ut dignus electórum gregi copulári efficiar: te præstánte, Deus meus, cujus nomen benedíctum, honor, atque regnum pérmanet in sæcula sæculórum. Amen.

Rhythmus S. Thomæ

ad SS. Eucharistiam.

ADORO te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas:
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans totum déficit.
Visus, tactus, gustus in te fállitur,
Sed auditu solo tuto créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius:
Nil hoc verbo veritátis vérius.
In cruce latébat sola Déitas;
At hic latet simul et humánitas:
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor:
Fac me tibi semper magis crédere,

Digitized by Google

In te spem habére, te dilígere.
O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini:
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.
Pie pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine:
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.
Jesu, quem velátum nunc adspício,
Oro fiat illud, quod tam sítio,
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

Adspirationes S. Ignatii

ad Ss. Redemptorem.

ANIMA Christi sanctífica me. Corpus Christi salva me. Sánguis Christi inébria me. Aqua láteris Christi lava me. Pássio Christi confórta me. O bone Jesu, exaúdi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste maligno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te, in sæcula sæculórum. Amen.

Oblatio sui.

SUSCIPE, Dómine, universam meam libertátem. Accipe memóriam, intellectum, atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo, vel possídeo, mihi largítus es: id tibi totum restítuo, ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones, et dives sum satis, nec áliud quidquam ultra posco.

Oratio

ad Dominum Jesum Chr.

Pius PP. IX., ex Decr. S. C. Indulgent. die 11. Dec. 1846, revocata quacumque alia concessione, indulsit ut sacerdotes lucrari possint Indulgentiam trium annorum, fidelibus etiam defunctis applicabilem, recitantes post peractum Missæ sacrificium orationem sequ.

OBSECRO te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus qua múniar, prótegar, atque deféndar: vúlnera tua sint mihi cibus, potúsque, quibus pascar, inébrier, atque delécter: aspérsio sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum: mors tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refóctio, exsultátio, sánitas et dulcédo cordis mei: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Digitized by Google



ORATIO CORAM IMAGINE CRUCIFIXI.

Summi Pontifices Clemens VIII., Benedictus XIV. et Pius VII. (juxta Decretum Urbis et Orbis S. C. Indulg. d. 10. April. 1821.) Indulgentiam plenariam omnibus et singulis Christifidelibus concesserunt, qui peracta sacramentali confessione et s. communione refecti, corde saltem contrito et devoto sequentem orationem ante quamcumque Domini N. J. C. Crucifixi imaginem recitaverint, et pro s. matris Ecclesiæ necessitatibus oraverint. Quam Indulgentiam Leo XII. PP. (juxta Decretum ejusdem S. Indulg. C. d. 17. Septembr. 1825.) etiam animabus in purgatorio detentis applicari posse concessit.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, éaque emendándi firmissimam voluntátem velis imprimere: dum magno ánimi affectu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse considero, ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod jam in ore ponébat suo David Prophéta de te, o bone Jesu: Fodérunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea. **Ps. 21.**

Oratio S. Augustini ad B. Mariam Virginem.

O sacratissima, o serenissima et inclyta gloriósa Virgo Maria, quæ Creatórem ómnium creaturárum in tuo sacratissimo

Digitized by Google

útero fuisti digna portáre, sólaque virgíneo úbere lactáre: cujus veracissimum, sacrúmque corpus et sánguinem ego indígnus peccátor modo súmere præsúmpsi, tuam humíliter déprecor misericórdiam, ut apud ipsum pro me peccatóre intercédere dignéris: ut quidquid in hoc tam ineffábili, ac dignissimo sacrifício, per me indígnum, ignoránter, vel negligénter, aut accidénter, seu irreverénter, scílicet in tractándo et suméndo, ac ministrándo actum est, commíssum, vel omíssum, tuis sacratíssimis précibus indulgére dignétur idem Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad S. Joseph.

VIRGINUM custos et pater, sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa Innocéntia Christus Jesus et Virgo vírginum María commíssa fuit: te per hoc utrúmque caríssimum pignus Jesum et Maríam óbsecro et obtéstor, ut me ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde, et casto córpore Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Deprecatio pro aliorum necessitatibus.

Ex Const. Apost. lib. VIII. c. 15.

DOMINE, Deus omnípotens, Pater Christi tui benedícti Fílii, exauditor eórum qui recte invocant te, cógnitor precum étiam eórum qui tacent; grátias ágimus tibi quod nos dignos censuísti, qui participarémus sancta tua mystéria, quæ præbuísti nobis ad plenam eórum quæ bene cognóvimus persuasiónem, ad custódiam pietátis, ad remissiónem delictórum; quóniam nomen Christi tui invocátum est super nos. Qui segregásti nos ab impiórum communióne, adúna cum iis qui tibi sunt consecráti; confírma nos in veritáte per sancti Spíritus advéntum; quæ ignorámus, revéla, quæ defíciunt, supple, quæ nóvimus, corróbora. Sacerdótes inculpátos consérva in cultu tuo, reges tuére in pace, magistrátus in justítia, áerem in tempérie, fruges in ubertáte, mundum in omnipoténte providéntia. Gentes bellicósas seda; errántes convérte; pópulum tuum sanctífica; vírgines consérva; cónjuges custódi in fide; castos róbora; nuper initiátos firma; catechúmenos erúdi, ac dignos initiatióne redde; nosque omnes cóngre-

Digitized by Google

ga in regnum cœlórum, in Christo Jesu Dómino nostro; cum quo tibi glória, honor ac venerátio, et sancto Spíritui, in sæcula. Amen.

Quinque Puncta
ante vel post Communionem utilissime recitanda.

I. Detéstor et abóminor ómnia et síngula peccáta mea, et ómnium aliórum commissa ab initio mundi usque in hanc horam, et deínceps usque ad finem mundi committénda: et, si possem, impedírem per grátiam Dei, quam supplex invoco.

II. Laudo et ápprobo ómnia bona ópera, facta a princípio mundi usque in hanc horam, et deínceps usque in finem mundi faciénda: et, si possem, ea multiplicárem per grátiam Dei, quam supplex invoco.

III. Inténdo ómnia fácere, dícere, et cogitáre ad majórem Dei glóriam, cum ómnibus illis bonis intentiónibus, quas Sancti umquam habuérunt, vel habébunt, vel habére possunt.

IV. Ignósco et dimitto ex toto corde meo ómnibus inimícis meis, ómnibus me calumniántibus, ómnibus mihi detrahéntibus, ómnibus quocúmque modo mihi nocéntibus, vel voléntibus mala.

V. Utinam omnes hómines salváre possem moriéndo pro síngulis! Libénter id fácerem per grátiam Dei, quam propterea suppliciter implóro, et sine qua nihil possum.

HYMNUS
SS. AMBROSII et AUGUSTINI.
PRO GRATIARUM ACTIONE.

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli, et univérsæ Potestátes:

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli, et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Digitized by Google

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia
Patrem * imménsæ majestátis,
Venerándum tuum verum * et únicum Fílium,
Sanctum * quoque Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ, * Christe,
Tu Patris * sempitérnus es Fílius:
Tu, ad liberándum suscepturus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum,
Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum:
Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.
Judex * créderis esse ventúrus.
Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso Sánguine redemísti.
Æterna fac cum Sanctis tuis * in glória numerári.
Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ:
Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.
Per singulos dies * benedícimus te,
Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.
Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.
Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.
Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.
In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu; ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedictus es, Dómine, in firmaménto cœli, ℟. Et laudábilis et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infínitus est thesaúrus: pissimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes, ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Quando Hymnus Te Deum coram Ss. Sacramento exposito celebratur, cantatur Hymnus et Oratio, ut supra, deinde fit Repositio, ut infra, 41.

Quod etiam in sequentibus servandum.

Digitized by Google

INVOCATIO S. SPIRITUS.

Hymnus.

VENI, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti, péctora.

Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dígitus Patérnæ déxteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus:
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Teque utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Emitte Spíritum tuum et creabúntur, ℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum.

Sequentia.

VENI, sancte Spíritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ rádium.

Veni pater paúperum,
Veni dator múnerum,
Veni lumen córdium.

Consolátor óptime,
Dulcis hospes ánimæ,
Dulce refrigérium.

In labóre réquies,
In æstu tempéries,
In fletu solátium.

O lux beatíssima,
Reple cordis íntima
Tuórum fidélium.

Sine tuo númine,
Nihil est in hómine,
Nihil est innóxium.

Lava quod est sórdidum,
Riga quod est áridum,
Sana quod est saúcium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est dévium.

Da tuis fidélibus,
In te confidéntibus,
Sacrum septenárium.

Da virtútis méritum,
Da salútis éxitum,
Da perénne gaúdium.
Amen.

℣. et Orat. ut supra.

Antiphona.

VENI, sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde.

℣. et Orat. ut supra.

Digitized by Google

LITANIÆ SS. NOMINIS JESU.

A Ss. D. Pio IX. aliquibus Diœcesibus concessæ.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi Deus, miserére.
Spíritus sancte Deus, miserére.
Sancta Trinitas unus Deus, miserére.
Jesu, Fili Dei vivi, mis.
Jesu, splendor Patris, mis.
Jesu, candor lucis ætérnæ, mis.
Jesu, rex glóriæ, mis.
Jesu, sol justitiæ, mis.
Jesu, fili Maríæ Virginis, mis.
Jesu amábilis, mis.
Jesu admirábilis, mis.
Jesu, Deus fortis, mis.
Jesu, pater futúri sæculi, mis.
Jesu, magni consílii Angele, mis.
Jesu potentissime, mis.
Jesu patientissime, mis.
Jesu obedientissime, mis.
Jesu mitis et húmilis corde, mis.
Jesu, amátor castitátis, mis.
Jesu, amátor noster, mis.
Jesu, Deus pacis, mis.
Jesu, auctor vitæ, mis.
Jesu, exémplar virtútum, mis.
Jesu, zelátor animárum, mis.
Jesu, Deus noster, mis.
Jesu, refúgium nostrum, mis.
Jesu, pater paúperum, mis.
Jesu, thesaúrus fidélium, mis.
Jesu, bone pastor, mis.
Jesu, lux vera, mis.
Jesu, sapiéntia ætérna, mis.
Jesu, bónitas infínita, mis.
Jesu, via et vita nostra, mis.
Jesu, gaúdium Angelórum, mis.
Jesu, rex Patriarchárum, mis.
Jesu, magister Apostolórum, mis.
Jesu, doctor Evangelistárum, mis.
Jesu, fortitúdo Mártyrum, mis.
Jesu, lumen Confessórum, mis.
Jesu, púritas Virginum, mis.
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, mis.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.
Propítius esto, exaúdi nos, Jesu.
Ab omni malo, líbera.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per nativitátem tuam, líb.

Digitized by Google

Per infántiam tuam, libera.
Per divinissimam vitam tuam, libera.
Per labóres tuos, libera.
Per agoníam et passiónem tuam, libera.
Per crucem et derelictiónem tuam, libera.
Per languóres tuos, libera.
Per mortem et supultúram tuam, libera.
Per resurrectiónem tuam, libera.
Per ascensiónem tuam, libera.
Per gaúdia tua, libera.
Per glóriam tuam, libera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: exaúdi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaúdi nos.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui dixísti: Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis: quæsumus, da nobis peténtibus divinissimi tui amóris affectum, ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua numquam laude cessémus. SANCTI Nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum, quia numquam tua gubernatióne destituis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instituis, Per Dóm.

Quando Litaniæ Ss. Nominis Jesu in publicis conventibus piæ Unionis seu Confraternitatis sacratissimi Cordis Jesu adhibentur, duabus Orationibus in illarum fine positis addi potest tertia, ut sequitur.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo Filii tui Corde gloriántes, præcipua in nos caritátis ejus beneficia recólimus, eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. Vel:

ILLO nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus e penetrálibus Cordis sui misit in terram, et vóluit veheménter accéndi: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

In conventibus Confraternitatis SS. Nominis Jesu, tertia Oratio addi potest:

OMNIPOTENS sempitérne Deus, dirige actus nostros in beneplácito tuo: ut in nómine dilécti Filii tui mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Digitized by Google

LITANIÆ LAURETANÆ B. M. V.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi Deus, miserére.
Spíritus sancte Deus, mis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insigne devotiónis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus aúrea, ora.
Fœderis arca, ora.
Jánua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Consolátrix afflictóru, ora.
Auxílium Christianórũ, ora.
Regina Angelórum, ora.
Regina Patriarchárum, ora.
Regina Prophetárum, ora.
Regina Apostolórum, ora.
Regina Mártyrum, ora.
Regina Confessórum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctórum ómnium, ora.
Regina sine labe origináli concépta, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: exaúdi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaúdi nos.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dnm nostrum. ℟. Amen.

Digitized by Google

Aliæ Orationes
et Versiculi
pro temporum varietate.

Ab Adventu usque ad Nativitatem.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, ℟. Et concépit de Spíritu sancto.

Orémus. Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A Nativitate usque ad Purificationem.

℣. Post partum Virgo, inviolàta permansísti: ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

A Purificatione usque ad Adventum.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta: ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus. Oratio.

CONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Christum.

A Sabbato sancto usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive,

℣. Gaude et lætáre, Virgo María, allelúja; ℟. Quia surréxit Dóminus vere; allelúja.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut per ejus Genitrícem Virginem Maríam perpétuæ capiámus gaúdia vitæ. Per eúmdem Christum.

In Festo Immac. Concept. B. M. V.

℣. Immaculáta Conceptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit. Oratio.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos

Digitized by Google

ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

In Assumpt. B. M. V.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix ℟. Super chóros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce: ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum.

LITANIÆ OMNIUM SANCTORUM.

In Processione Litaniarum majorum et minorum diebus Rogationum præmittitur Antiph. Exsúrge, Dómine, ádjuva nos, et líbera nos propter nomen tuum.

Psalm. Deus, aúribus nostris audívimus: patrès nostri annuntiavérunt nobis. Glória. Sicut erat.

Et repetitur Antiphona.

KYRIE, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum spirituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.

Digitized by Google

Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini. oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Joánnes et Paule, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta Maria Magdaléna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaúdi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitánia et improvisa morte, libera.
Ab insidiis diáboli, libera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, libera.
A spíritu fornicatiónis, libera.
A fúlgure et tempestáte, libera.
A flagéllo terræmótus, libera.
A peste, fame et bello, libera.
A morte perpétua, libera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, libera.
Per advéntum tuum, libera.
Per nativitátem tuam, libera.
Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, libera.
Per crucem et passiónem tuam, libera,
Per mortem et sepultúram tuam, libera.

Digitized by Google

Per sanctam resurrectiónem tuam, libera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, libera.
Per advéntum Spíritus sancti Paráclíti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus, audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Eccléśiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum Apostólicum et omnes ecclesiásticos Ordines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos sanctæ Eccléśiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre, et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retribuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne eripias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaúdi nos.
Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Pater noster, secreto.
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 69.

DEUS, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Digitized by Google

Confundántur, et revereántur, * qui quærunt ánimam meam:

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala:

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes, qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus; qui diligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris!

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis ℟. A fácie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis, ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis, ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retribuas nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N.: ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris: ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis: ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus: ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto, ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tribuas benignus et pacem.

Digitized by Google

INEFFABILEM nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter ostènde: ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, eripias.

DEUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N., et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perficiat.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formidine, témpora sint tua protectióne tranquilla.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tribue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACTIONES nostras, quæsumus, Dómine, adspirándo præveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exaúdiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Digitized by Google

CONCLUSIO SOLEMNIS ORATIONIS

QUADRAGINTA HORARUM

JUXTA INSTRUCTIONEM CLEMENTINAM.

Cantantur Litaniæ **Omnium Sanctórum** usque ad ℣. **Dómine, exaúdi,** inclusive. Deinde Celebrans ponit incensum in duo thuribula, et ter Ss. Sacramento incensato, incipit Processio, in qua omnia peragenda sunt, ut infra 42. Finita Processione cantatur per cantores hymnus: **Tantum ergo.** Interim Celebrans incensat ter Ss. Sacramentum; deinde cantat:

℣. **Panem de cœlo præstitísti eis,** ℟. **Omne delectaméntum in se habéntem.**

Orémus.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tribue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Deinde additur:

Ab Advent. usque ad Nativ.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

Vel a Nativ. usque ad Purif.

Deus, qui salútis ætérnæ, ut supra, 28.

A Purif. usque ad Advent.

Concéde, ut supra, 28.

Postea:

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N., **et dirige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ, ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perficiat.**

DEUS, refúgium nostrum, et virtus, adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis: et præsta, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes, et ómnia jura regnórum, réspice in auxílium Christianórum, ut gentes Turcárum et hæreticórum, quæ in sua feritáte et fraude confídunt, déxteræ tuæ poténtia conterántur.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque mi-

Digitized by Google

seréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spiritus sancti Deus. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Exaúdiat nos omnipotens et miséricors Dóminus: ℟. Et custódiat nos semper. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde benedicit populum cum Ss. Sacramento, nil dicens.

SUPPLICATIONES TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

In honorem Passionis D. N. J. C.

Fit exercitium Viæ Crucis, vel dicuntur Gradus Passionis. Quibus finitis dic, vel cant. Antiph. **Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.**

℣. **Adorámus te, Christe, et benedicimus tibi:** ℟. **Quia per crucem tuam redemisti mundum.**

Et dicitur una ex sequ. Orationibus.

Orémus.

RESPICE, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subire torméntum: Qui tecum vivit.

Orémus.

DEUS, qui Unigéniti Filii tui pretióso Sánguine vivificæ crucis vexíllum sanctificáre voluisti: concéde, quæsumus, eos qui ejúsdem sanctæ crucis gaudent honóre, tua quoque ubíque protectióne gaudére. Per eúmdem Christum.

Alia Oratio. Orémus.

DEUS, qui pro redemptióne mundi voluisti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus innocens ad victimam duci,

Digitized by Google

atque conspéctibus Annæ, Caìphæ, Piláti et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári, flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, vestibus éxui, cruci clávibus affígi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle et acéto potári, et láncea vulnerári: tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, quas ego indignus récolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a pœnis inférni, et perdúcere dignéris, quo perduxísti latrónem tecum crucifíxum: Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

℣ Si ejusmodi Preces coram Reliquia S. Crucis habitæ fuerint, in fine dic. Antiph. **Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.**

℣. **Omnis terra adóret te, et psallat tibi: ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.**

Orémus. Oratio.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es: Qui vivis.

Tempore paschali dic. Antiph. **Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accinctus est poténtia, surrèxit die tértia; allelúja.**

℣. **Dicite in natiónibus, allelúja, ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno; allelúja.**

Orémus. Oratio.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concède nobis fámulis tuis; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde cum Reliqu. S. Crucis datur benedictio, nihil dicendo.

℣ Si in fine Viæ Crucis Ss. Sacramentum expósitum fuerit, aut Preces Graduum Passionis, aliæve approbatæ coram Ss. Sacramento peractæ sint, dictis Antiph. et Orat. ut supra, 35. recit. vel cant. Hymnus **Tantum ergo**, et reliqua fiunt, ut infra, 41.

Psalmus 50.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam:

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea, * et a peccáto meo munda me.

Digitized by Google

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci, * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas, cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium et lætítiam, * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis, * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua, * et spíritum sanctum tuum ne aúferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * et spíritu princípáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * et impii ad te converténtur.

Líbera me de sanguinibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * et os meum annuntiábit laudem tuam,

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedissem útique: * holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justitiæ, oblatiónes, et holocaústa: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri etc.

Deinde dicitur:

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis, ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retribuas nobis.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Vel dicitur Oratio Vesp. Feriæ currentis.

℣ Quando hic Psalmus coram exposito Ss. Sacramento cantatur, Vers. et

Digitized by Google

Oratio dicuntur ut supra; deinde fit Reposit., 41.

Item in Hymno sequenti.

Hymnus Stabat Mater.

STABAT Mater dolorósa
Juxta crucem lacrymósa,
Dum pendébat Fílius.

Cujus ánimam geméntem,
Contristátam et doléntem
Pertransívit gládius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigéniti!

Quæ mœrébat, et dolébat
Pia Mater, dum vidébat
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
In tanto supplício?

Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
Doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
Vidit Jesum in torméntis
Et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem Natum,
Moriéntem desolátum,
Dum emísit spíritum.

Eja Mater, fons amóris,
Me sentíre vim dolóris
Fac, ut tecum lúgeam.

Fac, ut árdeat cor meum
In amándo Christum Deum,
Ut sibi compláceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas,
Cordi meo válide:

Tui Nati vulneráti,
Tam dignáti pro me pati,
Pœnas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifíxo condolére,
Donec ego vixero,

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociáre
In planctu desídero.

Virgo vírginum præclára,
Mihi jam non sis amára,
Fac me tecum plángere.

Fac, ut portem Christi mortem,
Passiónis fac consórtem,
Et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
Fac me cruce inebriári,
Et cruóre Fílii.

Flammis ne urar succénsus,
Per te, Virgo, sim defénsus,
In die judícii.

Christe, cum sit hinc exíre,
Da per Matrem, me veníre
Ad palmam victóriæ.

Quando corpus moriétur,
Fac, ut ánimæ donétur
Paradísi glória. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosíssima, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Orémus.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam cleméntiam beáta Virgo Maria Mater tua, cujus sacratíssimam ánimam in hora tuæ passiónis dolóris gládius pertransívit: Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

PRECES

AD REPELLENDAS TEMPESTATES.

In ejusmodi precibus servetur Rituale Rom. sub eodem titulo. Ubi vero fiunt coram exposito Ss. Sacramento, cant. vel dic., dum Sacerdos in infimo alt. gradu genuflectit:

Antiph. **Adjuva nos, Deus salutáris noster; et propter glóriam nóminis tui, Dómine, libera nos, et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.**

Deinde Sacerdos stans dicit: ℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini,** ℟. **Qui fecit cœlum et terram.**

℣. **Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,** ℟. **Et salutáre tuum da nobis.**

Orémus. Oratio.

DEUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. **Amen.**

℣. **A fúlgure et tempestáte** ℟. **Libera nos, Dómine Jesu Christe.**

℣. **Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos;** ℟. **Quemádmodum sperávimus in te.**

℣. **Dómine, exaúdi oratiónem meam,** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

℣. **Dóminus vobíscum,** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus. Oratio.

ADomo tua, quæsumus, Dómine, spirituáles nequitiæ repellántur, et aëreárum discédat malignitas tempestátum.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, parce metuéntibus, propitiáre supplicibus, ut post nóxios ignes núbium et vim procellárum, in matériam tránseat laudis comminátio tempestátum.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui nos et castigándo sanas, et ignoscéndo consérvas, præsta supplicibus tuis, ut et tranquillitátibus hujus optátæ consolatiónis lætémur, et dono tuæ pietátis semper utámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. **Amen.**

Deinde recit. vel cant. **Tantum ergo**, et reliqua fiunt ut infra, 41.

℣. Si his precibus præmittenda sit Oratio pro Pace, dic. Antiph. **Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.**

Digitized by Google

℣. Fiat pax in virtúte tua, ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formidine, témpora sint tua protectióne tranquilla. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣ Ad petendam pluviam, Orationi Deus, qui culpa, sub una conclusione additur:

Oratio.

DEUS, in quo vivimus, movémur, et sumus, plúviam nobis tribue congruéntem, ut præséntibus auxíliis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Vel:

DA nobis, quæsumus, Dómine plúviam salutárem: et áridam terræ fáciem fluéntis cœléstibus dignánter infúnde.

℣ Ad postulandam serenitatem additur:

Oratio.

AD te nos, Dómine, clamántes exaúdi, et áeris serenitátem nobis tribue supplicántibus: ut qui juste pro peccátis nostris affligimur, misericórdia tua præveniénte cleméntiam sentiámus. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

PRECES PÚBLICÆ PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Dictis precibus ab Ordinario adprobatis, si peractæ fuerint coram Ss. Sacramento, fit repositio ut infra 41; sed Orationi Deus qui nobis, additur sub una conclusione:

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut, beátæ Maríæ Vírginis suffrágiis intercedéntibus, et fidélium ánimæ indulgéntiam, et nos grátiæ tuæ dona ac ætérnæ vitæ præmia consequámur.

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Digitized by Google

RITUS REPOSITIONIS SS. SACRAMENTI,

in fine

Missarum, Vesperarum, Litaniarum et aliarum Supplicationum,

si celebrentur coram exposito Ss. Sacramento.

In Reposit. Ss. Sacramenti post Missam vel Vesperas Celebrans utitur Pluviali coloris Officio convenientis.

In Reposit. post Litanias et alias supplicat. Sacerdos superpelliceo, stola et pluviali albi coloris indutus esse debet; et cum hæc repositio fit cum ministris sacris, tunc Celebrans insuper amictum, albam et cingulum, Diaconus et Subdiaconus vero Dalmaticam et Tunicellam (sine manipulis) induere debent.

Dum Ss. Sacramentum in infimo gradu altaris genuflexi adorant, cantatur a choro Hymnus:

TANTUM ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat ritui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.
Genitóri Genitóque
Laus et jubilátio:
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

Interim Sacerdos, imposito thure absque benedictione, Ss. Sacramentum genuflexus incensat. Postea cantatur:

℣. **Panem de cœlo præstitisti eis,**
℟. **Omne delectaméntum in se habéntem.**

Deinde Sacerdos stans cantat:

Orémus.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tribue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.
℟. **Amen.**

Extra Fest. et Oct. Corporis Christi addi possunt aliæ Orat. ut supra, 34, cum conclus. **Qui vivis.**

Tunc Celebrans, accepto velo humerali albi coloris, facta genuflexione, cum Ss. Sacramento benedicit populum nil dicens. Interim Diaconus et Subdiaconus elevant in suppedaneo genuflexi anteriores partes Pluvialis. Ss. Sacramento in tabernaculo reverenter reposito omnes, facta genuflexione, recedunt.

Digitized by Google

RITUS PROCESSIONIS

CUM

SANCTISSIMO SACRAMENTO

AD NORMAM RITUALIS ROMANI.

Celebrans amicto, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris (vel coloris Officio convenientis, si processio fit in fine Missæ aut Vesp.) indutus esse debet; similiter Diaconus et Subdiaconus Dalmatica et Tunicella (sine manipulis). Omnibus paratis, Celebrans ponit incensum in duo thuribula absque benedictione, et genuflexus ter Ss. Sacramento incensato, assumit velum hum. album. Deinde ascendit in supremum gradum altaris, ibique genuflexus suscipit Ss. Sacramentum a Diacono sibi porrectum, illudque ante faciem tenens vertit se ad populum; postea descendit sub baldachinum comitantibus Diacono et Subdiacono, fimbrias pluvialis elevantibus.

Præcedit Acolythus portans crucem hastatam, medius inter duos ministros ceroferarios; deinde omnes Clerici qui adsunt, cum cereis accensis et cotta induti; immediate ante baldachinum duo ministri continuo Ss. Sacramentum thurificantes.

Dum vero Celebrans discedit ab altari, semper a choro cantandus est hymnus: Pange lingua, etc.; deinde in via: Sacris solémniis, vel Verbum supérnum; Salútis humánæ sator; Æterne Rex altissime.

Peracta Processione, et Ss. Sacramento per Diaconum super altare deposito, cantatur a choro hymnus Tantum ergo. Reliqua fiunt ut supra in Reposit. Ss. Sacramenti, 41.

DE CONFORMITATE MISSÆ

CUM OFFICIO ECCLESIÆ, IN QUA CELEBRATUR.

(Ex S. R. C. decretis 1701, 1704, 1706, 1752, 1779, 1817 etc.)

1. Sacerdos vel habens Officium duplex, vel celebrans in ecclesia, ubi fit de duplici, non potest legere Missam privatam de Requiem vel votivam, ne occasione quidem exequiarum.

An fratres (regulares tertii Ordinis S. Francisci) diebus, quibus propria Officia celebrant sub ritu duplici, celebrantes in alienis ecclesiis, possint celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, vel

Digitized by Google

possint celebrare de aliis, conformando se ritui earundem ecclesiarum ac etiam de Requiem? Et quatenus affirmative quoad primam partem, quid quoad colores paramentorum? (S. R. C. 11 Junii 1701) respondit: Negative, quando festum celebratur cum solemnitate et concursu populi; et quoad secundam partem jam provisum. (Gardellini vol. II. p. 197.)

Utrum sacerdos sæcularis vel regularis, habens Officium duplex, et quid, si duplex I. class., celebrans in aliena ecclesia ex devotione, ubi celebratur festum solemne, debeatne celebrare Missam, conformando se illi ecclesiæ, ubi celebrat, etiam quoad solemnitatem et colorem paramentorum?

Utrum etiam sacerdos sæcularis vel regularis habens Officium duplex, et quid si duplex I. vel II. cl. celebrans in aliena ecclesia ex obligatione in sepultura solemni alicujus cadaveris, vel exequiis solemnibus, debeat se conformare illi ecclesiæ, celebrando Missam de Requiem?

S. R. C. 29 Jan. 1752 respondit: Serventur decreta alias edita in una tertii Ordinis S. Francisci 11 Junii 1701, et sacerdotes tam sæculares quam regulares conformare se debent ritui ecclesiæ, in qua celebrant. (Gardellini vol. II. p. 433 et 434.)

Cum contingat sæpius in ecclesiis Regularium vel aliis præsertim in die obitus, seu anniversario defunctorum, Missas celebrari a confluentibus sacerdotibus, supplicatur declarari, an sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici, confluentes ad ecclesias, sive Regularium sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum? Responsum fuit negative (S. R. C. 7 Maji 1746).

2. Sacerdos, habens Officium duplex et celebrans in ecclesia, ubi fit de alio duplici, sed tamen sine solemnitate et concursu:

a. eodem colore, — debet legere Missam Officii sui (S. R. C. 12 Nov. 1831).

b. diverso colore, — tenetur celebrare Missam ecclesiæ sine commemoratione festi sui.

Quando festum ecclesiæ celebratur cum solemnitate et concursu, semper tenetur sese conformare in omnibus.

Digitized by Google

3. Sacerdos habens Officium duplex primæ vel secundæ class. et celebrans in ecclesia, ubi est duplex minus vel majus:

a. eodem colore, — tenetur legere Missam Officii sui;

b. diverso colore, — tenetur se conformare Missæ ecclesiæ sine commemoratione festi sui.

4. Sacerdos habens Officium duplex I. class. celebrans in ecclesia, ubi est festum solemne I. cl. debet se conformare tum in colore, tum in Missa, tum in numero orationum, tum quoad Gloria et Credo (S. R. C. 11 Jan. 1701).

5. Sacerdos habens Officium de Dominica celebrans in ecclesia ubi fit de infra Octavam diverso colore, debet se conformare.

6. Sacerdos habens Officium duplex (etiam I. class.) et celebrans, ubi fit de Dominica:

a) eodem colore, — tenetur legere Missam Officii sui;

b) diverso colore, — tenetur legere Missam de Dominica cum commemoratione Officii sui, quare loco orat. 2. A cunctis, vel de B. M. V. dicat orationem festi.

7. Sacerdos habens Officium duplex celebrans in ecclesia, ubi est semiduplex

a) non potest legere de Requiem (S. R. C. 7. Maji 1746), nec Missam votivam (S. R. C. 7 Sept. 1816).

b) debet legere Missam conformem suo.

8. Sacerdos habens Officium semiduplex celebrans in ecclesia, ubi est semiduplex, potest legere Missam ad libitum.

9. Sacerdos habens Officium semiduplex celebrans in ecclesia, ubi est duplex sine solemnitate,

a) non potest legere de Requiem;

b) eodem colore, — debet legere Missam suam (Gury, II. Nr. 405);

c) diverso colore, — tenetur ad Missam alienæ ecclesiæ sine commemoratione sui officii; nec potest dicere Missam votivam in colore illius ecclesiæ (S. R. C. 11 Sept. 1847).

10. In Missis cantatis et solemnibus sacerdos suum Officium prorsus negligere et se conformare debet Officio ecclesiæ (S. R. C. 7 Maji 1746).

11. In oratorio privato Missa semper concordare debet cum Offi-

Digitized by Google

cio, quod quisque recitavit, excepto die festivo Patroni loci, de quo in oratorio Missa festiva celebranda est (S. R. C. 12 Nov. 1830).

12. Missa conventualis in ecclesiis monialium, quæ Officium canonicum recitant (non valet de iis, quæ Officium de B. M. V. recitant), debet esse earum Officio conformis (S. R. C. 1 Dec. 1717); Missa tamen sumi debet ex Missali Romano (S. R. C. 18 Mart. 1702), exceptis Missalibus:

a) Augustiniano (Clem. XIV. 28 Jan. 1773),
b) Franciscano (Pius VI. 5 Sept. 1775),
c) Carmelitano (Pius VI. 14 Aug. 1777),
d) Capucinorum (Pius VI. 15 Julii 1778),
e) Benedictino, sed tantum in festo S. Benedicti et per ejus octavam (Bened. XIII. 10 Febr. 1727).

Quibus proin Missalibus in horum utriusque sexus Ordinum ecclesiis uti licet cuilibet sacerdoti ibi celebranti.

13. Regulares festis principalibus Ordinum suorum, et maxime festo fundatoris seu patriarchæ, possunt addere Symbolum, quando celebrant in aliena ecclesia. Regularis, in cujus ecclesia ex concessione apostolica fit Officium duplex, vel de octava privilegiata, addictus seu vocatus ad satisfaciendum oneribus alicujus ecclesiæ, ubi fit Officium semiduplex, vel celebratur aliquod funerale, potest celebrare Missam de Sancto sive de Requiem ad formam et ritum ejusdem ecclesiæ juxta rubricas Missalis Romani (S. R. C. 15 Dec. 1691).

14. Sacerdotes confluentes ad ecclesias confraternitatum in festis patronorum et titularium earundem, non debent in Missa addere Credo, nec unicam dicere orationem (S. R. C. 23 Sept. 1837). Quando vero sacerdotes exteri celebrant de Sanctis Ordinis, servatis servandis possunt in Missis se conformare cum fratribus quoad Credo et quoad numerum orationum more duplicum (S. R. C 11 Junii 1701).

15. Tam exteri in ecclesiis fratrum, quam fratres in alienis ecclesiis possunt apponere commemorationem octavæ occurrentis, servata rubrica de duplici oratione habenda in Dominica infra octavam.

Digitized by Google

Missa votiva.	Color.	Missa.	Gloria.
Die Ss. Trinit.	Alb .	Propr.	Omittitur.
De Spirit. sancto.	Rub.	Propr.	Omittitur.
De Ss. Sacram.	Alb.	Propr.	Omittitur.
De Pass. Domin.	Viol.	Propr.	Omittitur.
De S. Cruce.	Rub.	Propr.	Omittitur.
De B. Virgine Maria.	Alb.	Propr.	Glor. in Sabb. sine Glor. extr. Sabb.
De S. Angelis.	Alb.	Propr.	Glor.
De SS. Apostolis Petro et Paulo.	Rub.	Propr.	Omittitur.
De S. Apostol.	Rub.	Propr.	Omittitur.
De sanct. Martyrib.	Rub.	Pr. v. de Comm.	Omittitur.
De Conf. P. et n. P. Virginib. et Viduis.	Alb.	Propr. v. de Commun.	Omittitur.
Ad toll. schisma et cet. usq. ad Miss. pro Pereg. incl.	Viol.	Propr.	Omittitur.
Pro Sponso et Sponsa.	Alb.	Propr.	Omittitur.

Nota 1. In Missa votiva de Patrono in qua dicenda esset oratio **A cunctis,** vel omittitur nomen patroni in hac oratione vel legitur oratio ad poscenda suffragia Sanctorum prima inter diversas, quæ incipit **Concede, quæsumus, omnipotens Deus,** (S. R. C. 15. Maji 1819).

Digitized by Google

Credo.	Præfatio.	Ite v. Bened.	Orationes.
Sine.	Propr.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	Propr.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	De Nativ.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	De Cruce.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	De Cruce.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	Propr.	Ite Miss. in Sabb. Bened. D. extr. Sabb.	Or. 2. diei. 3. de Spir. sancto.
Sine.	Comm. v. d. t.	Ite Miss.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	De Apost.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei, sed pro A cunctis, Or. de B. M. V. Concede.
Sine.	De Apost.	Bened. Dno.	O. 2. et 3. diei.
Sine.	Comm. vel de tempor.	Bened. Dno.	Or. 2. et 3. diei.
Sine.	Commun. vel de tempor.	Bened. Dno.	Or. 2. et 3. diei.
Sine.	Commun. vel de tempor.	Bened. Dno.	Or. 2. et 3. diei.
Sine.	Comm. vel de tempor.	Bened. Dno.	Or. 2. et 3. diei.

Nota 2. Pro gratiarum actione dicitur Missa de Sanctissima Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de Beata Maria, additis Orationibus propriis, positis in Missali post Missam votivam de Sanctissima Trinitate, sub una conclusione.

Digitized by Google

INDICULUS.

Pag.

Præparatio ad Missam 3
Orationes ante Celebrationem et Communionem 7
Gratiarum Actio post Missam . . . 15
Orationes post Celebrationem et Communionem 17
Hymnus SS. Ambrosii et Augustini . . . 22
Invocatio S. Spiritus 24
Litaniæ SS. Nominis Jesu 25
Litaniæ Lauretanæ B. M. V. 27
Litaniæ omnium Sanctorum 29
Conclusio solem. Orationis quadraginta horarum 34
Supplicationes Tempore Quadragesimæ . . 35
Preces ad repellendas tempestates . . . 39
Preces publicæ pro fidelibus Defunctis . . 40
Ritus Repositionis SS. Sacramenti in fine Missarum, Vesperarum, Litaniarum et aliarum Supplicationum, si celebrentur coram exposito SS. Sacramento 41
Ritus Processionis cum SS. Sacramento ad normam Ritualis Romani 42
De Conformitate Missæ cum Officio Ecclesiæ, in qua celebratur 42
Conspectus eorum, quæ in celebrandis Missis votivis servanda sunt 46

Digitized by Google

	fl.	kr.	Thlr.	ngr.	Frs.	c.
Prostant pariter, eidem editioni accommodata Propria Diœcesium: **Augustanæ, Bambergensis, Eystettensis, Friburgensis, Fuldensis, Herbipolensis, Limburgensis, Monacensis, Passaviensis, Ratisbonensis, Rottenburgensis & Spirensis.**						
Missa in Festo et in Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V.						
in Folio. Rub. et Nig.	—	6	—	2	0,25	
detto in 8°. Rub. et Nig. . . .	—	3	—	1	0,10	
Missæ Defunctorum etc. Cum Appr. Congr. S. Rituum. Folio. Rub. et Nig.	—	54	—	16	2,50	
Missæ novissimæ a S. Rituum Congr. adprobatæ, in Fol. Rub. et Nig. .	—	9	—	3	0,40	
Missæ noviss. etc. in 8°. Rub. et Nig.	—	6	—	2	0,25	
Missale Romanum in Folio majori Editio III. Rub. et Nig. Cum Approb. Congr. S. Rituum. Editio communis .	11	—	6	15	32,00	
Editio communis cum titulo picto . .	14	—	8	—	38,00	
„ elegantior in charta præstant.	15	—	9	—	42,00	
„ „ cum titulo picto .	18	—	10	—	48,00	
Prostant pariter, eidem editioni accommodata Propria Diœcesium: **Angliæ; Belgii; Chilenæ; Hiberniæ; Hispaniæ; Hungariæ; Limanæ; Lusitaniæ, Brasiliæ & Algarbiæ; Mexicanæ; Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæ, Silesiæ & Sueciæ; — Bambergensis, Bredanæ, Brixinensis, Buscoducensis, Camberiensis, Maurianensis & Tarentasiensis, Coloniensis, Curiensis, Eystettensis, Fuldensis, S. Galli, Harlemensis, Herbipolensis, Lincinsis, Luxemburgensis, Moguntinæ, Monasteriensis, Paderbornensis, Passaviensis, Ratisbonensis, Ruræmundensis, Salisburgensis, Sanhippolytanæ, Sedunensis, Spirensis, Strigoniensis, Trevirensis, Ultrajectensis, Vratislaviæ; nec non Ord. S. P. Benedicti; Ord. Capucinorum, S. P. Francisci, SS. Redemptoris &c.**						
Missale Romanum in Folio minori. Editio V. Rub. et Nig. Cum Approb. Congr. S. Rituum. Editio communis	10	—	6	—	25,00	
Editio communis cum titulo pictis imaginibus symbolicis eleganter exornato	13	—	7	15	32,00	

Digitized by Google

	fl.	kr.	Thlr.	ngr.	Frs.	c.
Editio elegantior in charta præstant.	13	—	7	15	35,00	
„ „ cum titulo pictis imaginibus symbolicis eleganter exornato	16	—	9	10	42,00	
Propria Missalis in Folio majori etiam Missali in Folio minori adaptata, sunt.						
Missale Romanum in 8°. Rub. et Nig. Cum Appr. Congr. S. Rituum. Editio communis	4	—	2	10	9,00	
Editio cum titulo picto	5	—	3	—	11,00	
Prostant etiam, eidem editioni accommodata Propria Diœcesium: **Angliæ; Chilenæ; Hiberniæ; Hispaniæ; Hungariæ; Limanæ; Lusitaniæ, Brasiliæ & Algarbiæ; Mexicanæ; Poloniæ, Lithuaniæ & Russiæ, Silesiæ & Sueciæ; — Bredanæ, Buscoducensis, Camberiensis, Maurianensis & Tarentasiensis, Coloniensis, Harlemensis, Ruræmundensis, Ultrajectensis** &c. &c.						
Officia novissima et quædam alia passim desiderata. 4°. Rub. et Nig.	—	9	—	3	0,40	
Officia propria Ss. S. R. E. S. **Pontificum** et aliorum Romano Clero Sæculari et Regulari concessa. 18°. Rub. et Nig.	—	24	—	7	1,00	
Officium in Festo **S. Cyrilli** et **Methodii** in 4°. Rub. et Nig.	—	9	—	3	0,40	
Officium Hebdomadæ sanctæ etc. juxta Breviarium Rom. Cum Approb. in 4°. Rub. et Nig.	1	—	—	18	3,00	
Officium Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in 4°. Rub. et Nig. . . .	15	—	—	4½	0,50	
detto in 8°. Rub. et Nig.	15	—	—	4½	0,50	
Officium Immac. Concept. 4 tomis accommodatum in 4°. Rub. et Nig.	—	30	—	9	1,00	
Offic. et Missa Imm. Concept. (Cantui chorali) aptata in Fol. Rub. et Nig. .	1	—	—	18	3,00	
Preces ante et post Missam etc. 4°. Cum Approb. Rub. et Nig. .	—	24	—	7½	1,00	
Psalmi ad Laudes. Invitatorium et						